Ordonnance

Pour la fabrication d'une nouvelle monnoye, qui spécifie la forme, la figure, et la Legende des espéces tam anciennes, que nouvelles.

an. 1340.

Anno 1340. Die decima quarta mensis Julii; Cum verum sit Illustrem Principem Dominum humbertum Dalphinum Viennensem pro se, et suis heredibus, et successoribus elegisse discretos viros et fideles Ciardellum Margaritae, et Guillelmum, aliter dictum, Lerio de Luca, mercatores Magistros monetarum suarum tam aurearum, quam argentearum, ad vitam ipsorum quamdiu fideliter se habuerint in Magisterio earumdem monetarum suarum, et ordinaverit fieri debere denarios albos qui appellentur Grossi Dalphinales, cujus monetae albae sexaginta Grossi Dalphinales ponderent unam marcham argenti ad marcham Dalphinalem, et esse debet singulus denarius ex praedictis Grossis ligae undecim denariorum argenti fini, et debet cursum habere singulus Denarius dictae ligae pro decem septem Denariis, et quod praedicti

Magistri faciant, et cudant, seu fieri, et cudi faciant aliam monetam albam, quæ appelletur oboli grossi albi Dalphinales, quorum obolorum quilibet cursum habeat octo denariorum cum obolo: Item, quòd dicti Magistri faciant, et cudant fieri, seu cudi faciant monetam nigram curribilem pro duobus Denariis, quæ moneta appelletur duplices Dalphinales: Item, faciant et cudant dicti Magistri, fieri, vel cudi faciant aliam monetam nigram curribilem pro uno Denario, quæ moneta vocabitur, Denarius niger Dalphinalis. Item, quòd dicti Magistri faciant, seu fieri, et cudi faciant aliam monetam nigram curribilem pro obolo, quæ appelletur, obolus niger Dalphinalis, cum certis modis, ordinationibus, conventionibus Promissionibus, stipulationibus, et juramentis hinc et indè interpositis, tàm pro parte dicti Dom. Dalphini, quàm pro parte dictorum Fiardelli, et Guillelmi Magistrorum Monetarum, prout de prædictis plenè apparet, quodam publico instrumento recepto in manu mei Guigonis frumenti notarii infrà scripti, præsentibus anno et indictione, die 29. mensis

Junii nuper lapsi, nec tunc fuerit declaratum de qualitate figurarum, et litterarum quas unaquaeque ex dictis monetis habere deberet. Item Dom. Dalphinus intendens dictam bonam monetam per ipsum ordinatam cudi debere, et ea quae in dicto Tractatu continentur, executioni mandari, Declaravit, Statuit praesentibus, consentientibus praedictis Fiardello, et Guillelmo Magistris monetarum, quod quaelibet ex dictis monetis superius declaratis habeat formam, figuras, et litteras, ut inferius continetur. Primo videlicet quod quilibet Grossus Dalphinalis habeat ab una parte in medio, figuram, seu Imaginem unius hominis sedentis super duo scu piscibus Dalphinis, uno ad dextram, et alio ad sinistram partem, habentis in manu dextra unam Virgam, et in summitate ipsius Virgae unum florem, et habentis in capite unum circulum florum, et circum circa scuti, et esse debeant primo, supra caput dictae imaginis una crux, et praeterea Litterae continentes haec verba, Humbertus Dalphinus Viennensis, ab alia vero parte debeat esse una magna crux in medio, et quatuor pisces Dalphini parvi,

videlicet unus in quolibet quarterio, sanctacio dictæ crucis, et circumquaque primò crux, et deindè Litteræ continentes hæc verba, Grossus Dalphinalis; secundò quilibet obolus Grossus Dalphinalis habeat ab unâ parte in medio unum magnum piscem Dalphinum, et circum circà primò crux, et deindè Litteræ continentes hæc verba, humbertus Dalphinus viennensis, aliâ verò parte debet esse in medio una magna crux, et duo Dalphini, in duobus quarteriis dictæ crucis, et circumquàque, præmissâ cruce, Litteræ continentes hæc verba, obolus Grossus Dalphinalis; Tertiò quòd quilibet Duplex niger Dalphinalis prædictus habeat ab unâ parte in medio unum magnum piscem Dalphinum, circumcircà, præmissâ cruce, Litteras continentes hæc verba, humbertus Dalphinus viennensis; ab aliâ verò parte sit quædam crux magna quadrata à qualibet parte usquè ad summitatem circuli, et unus piscis Dalphinus, in uno quarteriorum, dictæ crucis, et Litteræ circum circà, præmissâ cruce, continentes hæc verba, Duplex Dalphinalis. quartò quòd quilibet Denarius Dalphinalis niger,

habeat ab unâ parte in medio, unum piscem Dalphinum magnum, et litteras circum circa, præmissâ cruce, continentes hæc verba, humbertus Dalphinus Viennensis, ab aliâ verò parte in medio, sit una crux, et Litteræ circumquaque, præmissâ cruce, continentes hæc verba, Denarius Dalphinalis. quintò quod quilibet obolus Dalphinalis niger, habeat ab unâ parte in medio unum Dalphinum, et litteras circumcircâ, præmissâ cruce, humbertus Dalphinus Viennensis, ab aliâ verò parte, sit in medio una crux, quæ extendatur à qualibet parte, usquè ad summitatem Circuli; et Litteræ circumquaquè, præmissâ cruce, continentes hæc verba, obolus Dalphinalis; Præterea fuit actum, et conventum quod Prædictus Ciardellus teneat, faciat, atquè cudat prædictas Dalphinales monetas apud avisanum, et Cremiacum, et dictus Guillelmus teneat, faciat, atquè cudat supradictas monetas apud Serviam, etiam quòd dictus Ciardellus pro dicto Guillelmo, nequè quòd ipse Guillelmus pro dicto Ciardello teneatur, nec sit adstrictus, vel obligatus in aliquo dicto Domino Dalphino, nisi duntaxat quilibet eorumdem magistrorum monetarum prædictarum pro se, et pro aliis monetis quas faciet;

Et cudere, seu fieri facere, atque cudi, et pro factoribus
suis: quibus sic lectis, et declaratis dicti fardellus,
et Guillelmus promiserunt, et juraverunt, &c.
Acta fuerunt haec apud Gratianopolim in
domo fratrum praedicatorum dicti loci, prae-
sentibus Reverendo in Christo Patre Domino
Joanne Dei Gratia Episcopo Tiburtino Concellario,
nobilibus, et egregiis viris Aynardo Vicecomite,
et Domino Clarimontis, Dominis Amblardo,
Domino Bellimontis, Nicolao Constantii Do-
mino Castrinovi de Bordeta, francisco de
Thesio Domino Chaurance, Joffredo de areiis,
Guillelmo de Ruyno, Stephano de Rufo militibus,
Jacobo Brunerii, Rodulpho de Caperliis legum
doctoribus, et pluribus aliis etiam Consiliariis
Domini Dalphini, vocatis ad praemissa,
Et ego frumenti notarius, &c. /.